

**Clon**, g. n.

*Campylidarum.*

**Mas.** Antennae haud procul ab oculis insertae, 12-articulatae, ab articulo 3° compressae et dilatatae, valde elongatae, corpori toti fere aequilongae, ad apicem parum attenuatae, scapo brevi, crassiusculo et incurvo, articulo 2° brevissimo, subtransverso vel aequae longo ac lato, 3° longitudinem primi subsesqui superante sequentibusque latis, 4°—9° apice infra acute porrecto-angulatis, ultimo simplici praecedente haud vel vix brevior. — Palpi maxillares haud breves, crassiusculi, articulo ultimo praecedente paulo longiore simplici, subovali, apice recte parumque truncato. — Caput haud magnum, fere ad oculos usque in prothoracem retractum, fronte mediâ parum lateque concavâ, utrinque ad insertionem antennarum subtumido-elevatâ, a clypeo haud discretâ, hoc brevi, apice late recteque truncato; oculis sat parvis, sed rotundis, orbitis integris, convexis, subhemisphaerice extrorsum eminentibus. Labrum valde transversale, margine apicali fere recto. Mandibulae breves sat abrupte introrsum curvatae, intus ante apicem obtuse dentatae, ipso apice dentem anteapicalem multo superante. — Pronotum latitudinem capitis cum oculis haud vel vix superans, aequae longum ac latum vel latitudine suâ vix longius, subcylindricum, lateribus omnino fere parallelis, margine antico recte truncato, angulis anticis a capite non distantibus, posticis nonnihil subspiniformiter extrorsum porrectis, basi mediâ breviter retrorsum prominente; disco convexo; margine laterali deficiente. — Scutellum latiusculum postice late rotundatum. — Coleoptera angusta et elongata, linearia, antice latitudinem pronoti nullo modo superantia, summâ latitudine triplo longiora, pone medium perparum subdilatata, apice conjunctim subrotundato-angulata atque sat fortiter sursum subelevata s. subreflexa; humeris nullo modo prominulis; epipleuris manifestis etiam apice latiusculis, ad angulum suturalem usque continuatis ibique ab-



rupte oclusis. — Prosternum margine antico recte truncato pauloque reflexo; suturis prosternalibus rectis simplicibusque. — Mesosternum ad prosterni processum recipiendum anguste subrhombiformiter excavatum. — Coxae anticae et intermediae subprominulae, subrotundatae; hae inter se modice approximatae; posticae intus fortiter dilatatae retrorsumque valde prominentes, extrorsum fortiter obliquo-angustatae. — Abdomen elongatum e quinque segmentis ventralibus visibilibus, processu intercoxali nullo, segmentis 2°—4° aequalis longitudinis, 4<sup>i</sup> margine postico subincrassato retrorsumque declivi, 5° longitudinem praecedentis plus quam sesqui superante, apice angustato, porrecto et acuminato, etiam ultimum segmentum dorsale multo superante. Apparatus copulatorius parameris (aspectu desuper) distantibus apice oblique truncatis, pene magno, haec longitudine et latitudine superante, lanceolato, apice acuminato, superne longitudinaliter rimiformiter excavato. — Pedes fortiusculi, longi sed parum graciles. Tibiae sat latae, apice simpliciter bicalcaratae. Tarsi omnes tibiis longiores, angusti, filiformes; postici articulo basali insequente sesqui vel minus longiore, 3° et 4° longitudine gradatim decrescentibus, ultimo longitudinem antecedentis manifeste superante; unguiculis majusculis, gracilibus, simplicibus. — Corpus totum pilis rigidis decumbentibus vestitum; habitus *Cerambycidarum*.

**Femina** nondum innotuit.

Genus egregium jam ob habitum in familia *Elateridarum* singularem valde insigne. Proxime accedit solummodo generi *Pleonomo* Mén.<sup>14)</sup>, a quo valde differt imprimis formâ corporis pilis multo longioribus rigidioribusque vestiti in ♂ angustâ et lineari, habitu magis adeo cerambyciformi, palpis minus gracilibus, oculis in ♂ minoribus, epistomate minus brevi, antennis in ♂ longitudine corporis, ad apicem parum attenuatis, pedibus etsi longis, tamen minus gracilibus, praecipue autem coxis inter-

---

<sup>14)</sup> Quoad elytrorum formam genus nostrum accedit praesertim *Pleonomo spinicollis* Fald. mongolico, qui etiam elytra apice manifeste subreflexo habet.



mediis nullo modo conicis, parum eminentibus, anticis magis prominulis rotundisque, posticis medio retrorsum multo magis prominentibus, extrorsum fortius obliquo-angustatis. A genere *Odontodero*<sup>15)</sup> Schwarz<sup>16)</sup> magis adeo discrepat antennis ♂ multo longioribus articulo 3° neque minuto neque angusto, sequentibus non serratis, capite aliter constructo oculis minus evolutis, coxis intermediis nullo modo conicis neque valde prominulis, posticis intus valde dilatatis retrorsumque prominentibus, elytris in ♂ angustis elongatisque apice subreflexo, corpore toto pilis rigidis vestito, etc.

#### 8. *Clon cerambycinus*, sp. n.

♂. Angustus et elongatus, formâ corporis omnino fere parallelâ, rufo-piceus, ore mandibularum apice excepto, pedibus elytrisque pallidioribus, brunneo-rufis, his etiam fere subtestaceo-rufis; totus pilis pallidis, subtus subtilioribus magis grisescentibus, supra longioribus et rigidioribus flavicantibus indutus. Antennis elytrorum apicem attingentibus, articulo 4° tertio circiter 1,33, 5° quarto vix longiore, articulis 4°—9° margine inferiore leniter subexciso (manifeste solum in articulis 4° et 5°), angulo apicali inferiore fere deorsum nonnihil porrecto acuminatoque, articulo ultimo (12°) praecedente paulo angustiore et vix nisi brevior. Capite modice brevi nec lato, vertice parum convexo, fronte late longitudinaliter impressâ, genis brevibus obtusisque, toto cum labro basique mandibularum rugoso-punctato pilisque longis in fronte subbifariam directis vestito. Prothorace subcylindrico, capite cum oculis vix atque postice tantum latiore, summâ latitudine suâ vix nisi longiore, lateribus mox pone medium vix distincte ampliatis, summam latitudinem ad angulos posticos nonnihil extrorsum porrectos, acuminatos attingente; angulis anticis nec prominulis nec a capite distantibus, margine antico recte trun-

---

<sup>15)</sup> NB. Nomen in Coleopteris bis praeoccupatum (*Odontoderes*).

<sup>16)</sup> Schwarz: Deutsch. Ent. Zeitschr. 1894, p. 149.



cato, basali medio brevissime eminente, utrinque haud profunde arcuatim exciso; disco convexo, copiose sed inaequaliter punctato, medio secundum lineam medianam strigiformiter non determinate exculptam denudato, ceterum piloso, pilis utrinque secundum lineam mediam nec non ad latera (praesertim angulos posticos versus) condensatis et congestis, in apice utriusque anguli postici fasciculum retrorsum directum efficientibus; basi utrinque subimpressâ; margine laterali deficiente, solum ad angulos pliciformiter indicato. Scutello oculorum diametro perparum angustiore, a tergo late rotundato, subconvexiusculo, punctato, fere radiatim piloso. Coleopteris ad et pone humeros prothorace non latioribus, latitudine suâ triplo longioribus, fere linearibus, lateribus parallelis, pone medium paululum subdilatis, apice conjunctim subrotundato-angulatis atque sat fortiter sed sensim subreflexis s. sursum subelatis, dorso convexis, suturâ anguste subelevatâ costulisque duabus in utroque (interiore obsoletâ) sublaevigatis omninoque fere denudatis, intervallis latis crebre rugoso-punctatis pilisque longis accumbentibus multifariam (secundum suturam bifariam), depexis copiose indutis, spatio lato inter costulam anteriorem et marginem lateralem obsolete substriato; humeris nullo modo prominulis. Sterno abdomineque cerebre punctatis pilis paulo tenuioribus et brevioribus in meso- et metasterno, praesertim vero in abdomine uniformiter retrorsum depexis accumbentibusque dense indutis. Pedibus totis cum tarsis pilis decumbentibus copiose obsitis, his infra praeterea setulosis; tarsorum posteriorum articulo ultimo praecedente vix sesqui longiore.

♀ mihi ignota.

Long. ♂ 10, lat. 2,25 mm.

*Bucharia*: Kainar (D. Glasunow! 1892). — Solum specimen (1 ♂) (coll. P. Semenov).

#### 9. *Clon umbratus*, sp. n.

♂. *Cloni cerambycino* Sem. (cf. supra) proxime affinis similisque, sed totus niger s. piceo-niger solum tarsis levissime rufes-



centibus, superne totus densius et magis aequabiliter subtomentiformiter pilosus; oculis majoribus, minus prominulis, haud hemisphaericis; pronoti sulculo mediano magis profunde exsculpto; coleopteris suturâ angustissime, costulis dorsalibus haud denuclatis; tarsis posticis articulo ultimo praecedente sesqui longiore; ceterum omnino cum *Cl. cerambycino* consentaneus et fortasse mera ejus varietas.

♀ mihi ignota.

Long. ♂ 11, lat. 2,6 mm.

*Bucharia*: Kainar (D. Glasunow! 1892). — Specimen unicum (1 ♂) (coll. P. Semenov).